



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

Luxemburgi, 1758

XXXII. Basilica Assesiensis S. Francisci in Patriarchalem & Cappellam
Papalem erigitur: Cum aliis gratiis, privilegiis, & indultis. 25. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74789)

Sanctio poenalis.

Dat. 17 Martii 1754. Pontif. XIV.

& sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad praemissorum effectum specialiter & expresse, ac latissime & plenissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§. II. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, institutionis, electionis, deputationis, facultatum imperfectionis, separationis, sejunctionis, dismembrationis, applicationis, concessionis, assignationis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. M. Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1754. xvi. Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

J. Card. Pro-Datar. D. Card. Passionens.

VISA
De Curia J. C. Boschi.

Loco + Plumbi. J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXII.

Basilica Assisensis S. Francisci in Patriarchalem & Cappellam Papalem erigitur: Cum aliis gratis, privilegiis, & indultis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Divinum eloquium impletur dum exaltatur in terris humilitas Sancti Francisci.

FADELIS Dominus in verbis suis, quum saepe in Scripturis sanctis declaraverit, exaltatum se illos, qui voluntarie demissionis affectu humiliarent in terra animas suas, non solum in caelesti Regno pusillos Servos, quos Filii sui humilitati conformes reperit, gloria & honore mirabiliter coronat; sed etiam, ad mortalium fidem excitandam & roborandam, hoc pro sua sapientia disponit, ut qui videntes in Mundo, Mundi gloriam contemserunt, eique placere non curarunt, splendidioribus post mortem honoribus in ipso conspectu filiorum hominum extollantur, eorumque memoria in terris decorata fulgeat, & gloriola clarescat. Quod quum in pluribus sanctis Viris ab ipso Mundi exordio, & maxime post constitutam Ecclesiam, saepissime demonstratum est; tum vero in Beati Francisci Confessoris exaltatione, & in omnibus, quae ad illius Instituti amplificationem, & memoriam celebritatem pertinent, manifeste impletum conspicimus. Qui enim vivens, in oculis suis, & aliorum vilescere semper studuit, ac opprobriis & vituperationibus delectari consuevit; jampridem irrefragabili Catholicae Ecclesiae iudicio, clarissimoque praeconio, inter Amicos Dei cum ipso in Caelis regnantes, ubique terrarum honoratur & colitur: Illius autem Corpus, in quo mortificationem Christi ad mortem usque circumferre non destitit, singularibus signis atque prodigiis de Caelo illustratum, atque certantibus omnium Ordinum studiis, ita Populorum & Principum devotione clarificatum fuit, ut ejusdem Sepulchrum gloriosum, super ambitiosa potentium saeculi monumenta, merito celebrari mereatur.

Honores, & privilegia a Praedecess. Pontif. collata Ecclesiae Assisensi ubi Corpus Sancti Francisci reconditum est, enarrantur.

§. I. Et sane vix altero ab illius obitu anno decurso, quum de Servi Dei exuviis decenter collocandis ageretur, eumque in finem opportunus locus & fundus, prope Assisensis Civitatis moenia, illius Alumnis pro Apostolica Sede recipientibus oblatum fuisset; san. mem. Prae-

cessor Noster Gregorius Papa IX. dignum existimans & conveniens, illius memoriam, per quem tantus Ecclesiae Dei fructus provenerat, in eo etiam honorificari, ut Ecclesia, in qua ejus Corpus recondendum erat, nemini, praterquam Romano Pontifici, subesset; eundem fundum in jus & proprietatem praedictae Sedis Apostolicae recepit; statuitque Ecclesiam inibi construendam omnino liberam, ac nulli alii, quam Apostolicae Sedi subjectam fore; & ad hujusmodi libertatis ab Ecclesia Romana perceptae indicium, unius librae cerae censum annuatim sibi, & Successoribus suis ab eadem Ecclesia perfolvendum decrevit; Super quibus Apostolicas Litteras, quarum initium est -- *Recolentes* -- edidit Reate, xr. Kalendas Novembris Pontificatus sui anno II. Deinde vero, quum idem Gregorius Praedecessor, in ipsa Assisensi Civitate, gloriosissimum Patriarcham Sanctorum Confessorum Catalogo rite adscripsisset, ac designatam hujusmodi Ecclesiam in ipsius honorem Omnipotentis Deo dicendam, erigendamque statuisset, illius primario lapide suis ipse manibus posito, per alias suas Litteras datas Laterani, X. Kalendas Maji, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXX. Pontificatus sui anno IV. incipientes -- *Is, qui Ecclesiam* -- non modò concessum eidem Ecclesiae libertatis, & immediatae Romano Pontifici subjectionis privilegium, nova & solemniori concessione firmavit, sed etiam Ecclesiam ipsam Ordinis Fratrum Minorum Caput & Matrem ab omnibus habendam, ac in ea per Fratres ejusdem Ordinis perpetuo servendum fore constituit; aliaque ad asserendam illius immunitatem, ac dignitatem, & Fratrum in ea deservientium commoda promovenda, opportunè decrevit, quae latius continentur in praefatis ejusdem Gregorii Litteris: quas alii deinde Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ex quo ipse Sancti Francisci Corpus in eadem memorabili pompa illatum fuit, in primis Innocentius Papa IV., qui postea Ecclesiam ipsam ad supremum fastigium perductam, suaque jam constructione & mole conspicuam, anno MCCLIII., Dominica ante Festum Ascensionis Domini, ad honorem Dei, & ejusdem Beati Francisci, solemniter ritu dedicavit, nec non Clemens Papa IV. per similes suas Litteras confirmavit & innovarunt. Nicolaus vero etiam IV. peculiaribus Litteris, datis Reate II. Idus Maji Pontificatus sui anno II., & incipientibus -- *Praeclara* -- statuit Ecclesiam ipsam, & totum locum ipsius, cum pertinentiis suis, Ecclesiastico Interdicto, absque speciali & expresso Apostolicae Sedis mandato, sub certa forma ibidem praescripta concepto, supponi non posse.

§. 2. Porro eidem Ecclesiae non parum honoris ex eo accessit, quòd alii ex Praedecessoribus Nostri Romanis Pontificibus non solum ad eam, Beati Patriarchae Tumulum venerunt, saepe se contulerunt, sed in Pontificiis quoque Aedibus prope ipsam extructis ad non exiguum tempus domicilium figere, atque omnis generis Pontificalia Sacra in ea celebrare constiterunt; Insuper Apostolicae Sedis serinia, aliaque Ecclesiasticae Potestatis, & Civilis Imperii instrumenta apud eam collocarunt; nonnulli etiam in ea sepulturam sui corporis elegerunt; quapropter ejusdem Ecclesiae immediata Apostolicae Sedis subiectio, quae ipsi cum aliis pluribus per Orbem Ecclesiae ab inferiorum Praesulum jurisdictione exemptis communis videri poterat, peculiaris cujusdam Pontificum domini, & proprietatis induit speciem; eo vel maxime confirmatam, quòd quum in unius structurae altitudine trium revera Ecclesiarum, quarum altera alteri imminet, mira aedificatio confurgat, in superioris Ecclesiae Hemicyclo, Pontificia marmorea Cathedra contra Aram Maximam usque ab initio extructa,

semper

A fundationis initio S. Sedi immediate subiectur, anno conservato censu

Pontificia manu primus lapis Ecclesiae ponitur.

Caput & Mater Ordinis Minorum constituitur, Fratrumque ejusdem Ordinis custodienda in perpetuum traditur.

Per Rem. Pontificem solemniter ritu dedicatur.

Vetium, ne Ecclesiastico Interdicto absque Sanctae Sedis mandato supponatur.

Magis specialiter additur proprietati S. Sedis, ut pote decorata frequentis Pontificum accessu. Pontificis Aedibus, & diuturno eorum domicilio Pontificio Archivo, Pontificum sepultura.

Duplici Pontificia Cathedra.

1754.

Mil in ea immutari consuevit in consilio Romano Pontificis.

Distur ap- pellatione Basilice plu- ribusque gra- tis Spiritua- libus, & ce- poralibus.

Archicon- fratensis Chordigeron in ipsa e- rigitur cum facultate ag- gregandi.

Indulgentia plenaria qua- dritie ibidem in perpetu- conceditur.

Tres in ea Penitentia- rii Auctori- tate Aposto- lica designa- tur.

Pontifex Prædecesso- rum exem- plo, & pro- pria devotio- ne erga San- ctum Francis- cum, per- motus:

Ac a me- moria Gen- titium suorum.

semper stetit dignoscitur; in ea verò, quæ media est, atque subiecto venerandi Corporis conditorum propius attingit, a latere Altaris, ubi Pontifices Sacris solemnibus operantes Thronum erexisse oportuit, aliquot ab hinc annis Pontificis pariter Thronus, ex auctoritate primum san. mem. Decessoris Nostri Clementis Papæ XII, atque iterum Nobis annuentibus, erectus, assidue retineri conspicitur; De omnibus autem, quæ ad ipsam Ecclesiam, ejusque cultum, & sacras actiones in ea peragendas quomodolibet pertinent, nihil sive magnum, sive parvum, statui, aut immutari consuevit, nisi consultis prius Romanis Pontificibus pro tempore existentibus; quorum singularis cura, & sollicitudo, tam pro ejusdem Ecclesie conservatione, ac decore, quam pro recta omnium in ipsa agendorum ordinatione semper eniuit. Quare nil mirum si plerique Romani Pontifices Prædecessores Nostri, eandem Ecclesiam, Basilicam etiam nuncupatam, compluribus Privilegiis, & Gratiis spiritualibus, & temporalibus cumulauerunt, & Nicolaus Papa V. per suas Apostolicas Litteras incipientes: *Licit ex debito*: datas Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDL. viii. Idus Februarii, omnia, & singula privilegia & indulta hujusmodi, tanquam a se ipso concessa, perpetuam roboris firmitatem obtinere decrevit; & Sixtus Papa IV. eadem, aliaque posterius impertita, similiter pro suis adoptans, novo confirmationis munimine roboravit, per suas pariter Litteras sub Plumbo editas Romæ, apud Sanctum Petrum pridie Idus Novembris anno MCDLXXI., quarum initium est: *Ad Ordinem*: & Sixtus Papa V. aliis similiter Litteris datis XIII. Kalendas Decembris anno MDLXXXV. piam Christianissimorum utriusque sexus, Chordigeron nuncupatorum, Archiconfraternitatem, in eadem Ecclesia, & ad illius Altare Majus, auctoritate Apostolica erexit, compluribus eidem Indulgentiis & gratiis concessis, quarum participatione etiamnum, juxta posteriores Apostolicæ Sedis sanctiones, innumeri Christianifideles, aliis hujusmodi Confraternitatibus per omnes Mundi partes ex ejusdem Sixti concessione erectis, aggregati, ditantur. Utque alia innumera Apostolicæ liberalitatis erga eandem Ecclesiam effusa, argumenta prætereamus, fel. rec. Prædecessor Noster Innocentius Papa XII. per suas Litteras sub Annulo Piscatoris datas die XVIII. Augusti anno MDCXCVIII., ac perpetuis temporibus valituras, omnibus Christianifidelibus, qui illam verè poenitentes & confessi, ac Sac. Communionem resechi, in quocumque anni die devotè visitaverint, ibique, ut in ipsis Litteris præscribitur, oraverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem concessit; Deinde etiam per alias similes Litteras die XI. Martii sequentis anni editas, tres in eadem pro tempore deputandos riteque constituendos Penitentiariorum, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium expressè professos, satis amplis facultatibus pro confluentium Christianifidelium absolutione a peccatis atque censuris, & pro votorum commutationibus, Apostolica auctoritate instructos, perpetuo extare voluit atque concessit.

§. 3. Tot igitur Venerabilium Prædecessorum Nostrorum exemplis Nobis propositis, eorumque vestigiis insistentes, Nos etiam ad ejusdem Ecclesie splendorem ac decus augendum cumulandumque libenter adducti sumus. Quod quidem non tam singularis obsequii Nostri affectus erga B. Franciscum Patriarcham multis jam rebus privatim, & publice declaratus, atque testatus; & peculiaris quedam, ac veluti hereditaria in eundem Familie Nostre devotio, Nobis suggestit; dum animo occurrit, ipso adhuc Beato Francisco in vivis agente, primum

Bononiæ locum illius Discipulis, ad eorum Ordinis Cœnobium fundandum, a Majoribus Nostris oblatum fuisse; illius verò cum Christo regnantis Patrocinio, complura in Nostros beneficia profecta, ipsiusque Familie Nostre conservationem, pestifera quondam grassante lue, acceptam referri, grata mente recolimus: Sed ea potissimum cogitatio Nobis fuit, quod merito sperandum duximus, Romanam Ecclesiam, ejusque Ditionem, in cujus sinu Beatus Pater & ortum habuit, & sepulchrum, eo magis illius apud Deum intercessionibus protegendam, atque servandam; quo magis illustria, ad illius memorie honorem, Apostolicæ Sedis judicia extiterint & decreta.

§. 4. Itaque motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione Nostri, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, omnia & singula Privilegia, Prærogativas, Libertates, Exemptiones, & Immunitates, aliaque Indulta sæpèdictæ Ecclesie Sancti Francisci Assisientis, tam per præfatos Gregorium IX. Innocentium IV. Clementem etiam IV. Nicolaum IV. & V. Sixtum quoque IV. & V. ac Innocentium XII., quam per alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros quocumque, & qualitercumque concessa, seu confirmata, & innovata, dummodo non sint actu revocata, seu sub aliqua generali revocatione comprehensa, Nos etiam Apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, & innovamus, eandemque Ecclesiam ab Ordinario Loci, ac omnium, & quoruncumque Præfulum, seu Superiorum, etiam Regularium, tam ordinaria, quam delegata jurisdictione, visitatione, & auctoritate penitus exemptam, liberam, & immunam, sub immediata Nostra, & Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum, & Sedis Apostolicæ potestate, dominio, & proprietate, confirmamus, & immutabiliter constituimus.

§. 5. Præterea simili motu, ac scientia, prædictam Ecclesiam Nostram Sancti Francisci Assisientis, præsentium Litterarum tenore, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in Basilicam Patriarchalem, & Cappellam Papalem erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuò esse & fore decernimus; Eamque Basilicam Patriarchalem, & Cappellam Papalem æque & pariformiter nuncupari & haberi volumus, ac alie Basilicæ Patriarchales intra Urbem, & extra illius muros, nec non Cappellæ Papales in Pontificiis Aedibus, & prope eas constitutæ appellentur, atque censentur; Statuentes nihilominus eandem Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci Caput & Matrem semper esse, & haberi; nec non, ut hæcenus, per Fratres ipsius Ordinis Conventuales nuncupatos in ea perpetuo servandum fore; Ac decernentes antiquum censum unius libræ cere albæ, qui lucusque ex parte ejusdem Basilicæ quotannis in pervigilio Natalis SS. Apostolorum Petri, & Pauli, in signum immediate subjectionis Apostolicæ Sedi, in Camera Apostolica persolvi solebat, perpetuis futuris temporibus in memoriam etiam hujus honorificentissimi fœderis, quo noviter Basilica Assisientis cum Sede Apostolica conjuncta est, ut antea, præstari & recipi debere.

§. 6. Volumus idcirco Pontificium Thronum, seu Cathedram, tam eam videlicet, quæ in superiori Ecclesia jam inde ab initio stabiliter locata conspicitur, quam quæ in Ecclesia inferiori posterius, ut præfertur, erecta fuit, iisdem in locis, in quibus nunc sunt, pro solius Romani Pontificis, & nullius alterius usu perpetuò retineri. Utrumque autem Altare Majus Basilicæ hujusmodi, ex ea tamen parte dumtaxat, qua Thronum Pontificium respicit,

1754. qui locis ejusdem adhuc viventis fundum Bononiæ obrulerunt pro construendo Cœnobio & insigni beneficium acceperunt;

Et ad implorandum præfatis Romanæ Ecclesie, & Ecclesiæ Ditioni:

Motu proprio confirmat, & innovat Privilegia Ecclesie Assisientis a Prædecess. concessa.

Iterum eam eximit ab omni Ordinaria & delegata jurisdictione, & suscipit sub immediata S. Sedis potestate.

Ecclesiam Assisientem Sancti Francisci in Basilicam Patriarchalem, & Cappellam Papalem erigit.

Præf. var & confirmat Dignitatem Capituli & Matris Ordinis Minorum.

Servitium, ut hæcenus, per Fratres Mio. Convent. præstandum; Et annuum censum Camera Apostolicæ solvendum.

Reservat privativo usui Romanorum Pontificum utrumque Thronum superioris & inferioris Ecclesie.

Et utramque Aram Majorem, quæ Thronum Pontificium recipit.

Altare Pontificium seu Papale, ex nunc in posterum esse & fore declaramus; itaut nemini liceat, absque specialij Indulto, seu extra casus, ut infra, permisos, in uno aut altero eorum Missam, sive privatim, sive solemniter celebrare.

Iussu suo exaratum Cere- moniale pro Basilica usq; & contem- poraneis Literis approbatum observari mandat.

§. 7. De sacris autem Actionibus in eadem Basilica peragendis, & Cereimonialibus Ritibus ibidem servandis, quum Nos multiplices Leges & Regulas in unum colligi iusserimus, easdemque peculiari Instructione digestas, ac diligenter examinatas, atque probatas, aliis Nostris Apostolicis Litteris in forma Brevis cum Cereimonialis hujusmodi insertione hac ipsa die expeditis duxerimus confirmandas; nunc omnia & singula in Cereimoniali predicto ordinata, & contenta, ac praesertim Indulta celebrandi in praefatis Papalibus Aris, tam Custodi Conventus ejusdem Sancti Francisci, quam aliis diversis Praesulibus, atque Personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, Saecularibus, seu Regularibus Praelatis, pro statis diebus, seu certis respectivè vicibus concessa; & alia quaecumque, etiam indulti, & privilegij naturam habentia, tam in ipsius Basilicae, quam in Personarum quarumvis favore, ibidem praescripta atque statuta, praesentium quoque tenore approbamus, ac etiam perpetuò confirmamus: mandantes omnibus & singulis, ad quos pertinet, & quandocumque pertinebit in posterum, etiam specifica mentione & expressione dignis, ut omnia & singula ibidem, ut praefertur, ordinata & disposita observent, ac respectivè iisdem in omnibus & per omnia se conformare studeant, iisque obsequantur.

Indulget Per- sonis in Cere- moniali re- latis, ut praes- criptis die- bus & vici- bus Sacrum faciant in A- ris Papalibus.

Eximit a lege expectandi si- gnum Cam- panarum Ca- thedralis in Sabbato San- cto.

§. 8. Neque verò eandem Basilicam comprehensam esse aut censi volumus sub Praedecessoris Nostri Leonis Papae X. Lege ab ipso in Concilio Lateranensi edita, qua scilicet sub certa poena veruit, ne in Sabbato majoris Hebdomadae, in quibuslibet Saecularium, aut Regularium etiam Privilegiatorum Ecclesiis, antequam in Cathedralibus, seu Matricibus Locorum, Campanae pulsari possent: quin immo illam, utpote Papalem, & Patriarchalem Basilicam, ab hujusmodi Lege specialiter eximimus pro praesentes; ita tamen, ut si illius Campanas praedicta die, ante illas Cathedralis Ecclesiae Assisensis, pulsari contingat, alia in eadem Civitate vel extra eam constituta Ecclesiae nequam eidem Basilicae respondere, sed a praedicta Ecclesia Cathedrali hac in re, ut antea, dependere teneantur.

Designat illi- vistrandam rempore Ju- bilaei, vel pu- blicarum precum a S. Sede indicta- rum.

§. 9. Quod si ad implorandam caelestis auxilii opem, publica preces, oblata Fidelibus Indulgentia, de mandato Apostolicae Sedis, ut identidem fieri solet, per Civitates atque Dioeceses sint indicendae, seu Jubilaei generalis, vel particularis concessio, aut extensio, ab eadem Apostolica Sede emanaverit, relicta Locorum Ordinarii facultate designandi Ecclesias aliquot, praeter Cathedralem uniuscujusque Civitatis, in quibus hujusmodi preces fundendae, seu quae ad indulgentiam aut Jubilaeum consequendum vistrandae sint: quod pertinet ad Assisensem Civitatem, volumus & decernimus, eandem Basilicam S. Francisci, tamquam a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente ad praedictos effectus, una cum ipsius Civitatis Cathedrali Ecclesia, singulis vicibus expressè designatam, semper haberi: dictamque facultatem ab Assisensi Episcopo seu Ordinario, exerceri posse dumtaxat in aliarum Ecclesiarum delectu, si forte plures duabus Ecclesiis fuerint designandae. Ceterum ejusdem Episcopi seu Ordinarii edicta, sententias, mandataque omnia, sive ad Divinum cultum, sive ad Cleri Populique sui regimen quomodocumque spectantia, ad valvas ipsius Basilicae, seu respectivè in illius

Praeservat Ordinario fa- cultatem in ea assignandi Edicta, quae Divinum cul- tum, vel Cleri Populique regimen con- servant.

Sacrario proponi non interdicimus; ejusdemque ordinationes atque statuta super praemis- sis, alioquin rite condita & lata, ibidem per eos, ad quos pertinet, observari volumus & mandamus.

§. 10. Quod autem ad debitam erga gloriosum Beati Francisci Corpus Fidelium venerationem fovendam, & magis magisque asserendam, fel. rec. Praedecessor Noster Clemens Papa VII. per suas Litteras sub Annulo Piscatoris die XVIII. Julii MDXXXVI. ad tunc existentem Perusiae & Umbriae Vicelegatum datas, quarum initium est -- *Accepimus* --, singulis annis in Processione solemnè die prima Augusti ab Ecclesia ejusdem Sancti Francisci ad aliam Sanctae Mariae Angelorum, sive de Portiuncula, habenda, servandum decrevit; atque itidem rec. me. Praedecessor quoque Noster Urbanus Papa VIII. per similes Litteras datas die XXII. Martii anno MDCXLIII. incipientes -- *Domini Nostri Jesu Christi* -- perpetuò custodiendum voluit & praecipit; id ipsum Nos quoque earundem praesentium tenore in posterum perpetuò servandum decernimus & jubemus.

Provide sta- tuta circa Processione- Kalendis Au- gusti habenda confir- mat.

§. 11. Et quoniam ad venerandum ejusdem gloriosissimi Confessoris Tumulum, ejusque Patrocinii suffragia demerenda, atque etiam ut Indulgentiarum quotidianarum compotes fiant, frequentes undique Fideles ad praefatam Basilicam omni tempore confluere dignoscuntur; Nos opportuna animarum salutis procuranda subsidia augere cupientes, volumus, ut praeter tres Penitentiariorum ibidem ex auctoritate praedicti Innocentii Papae XII., ut supra dictum est, constitutos, tres alii ejusdem Ordinis Minorum Conventualium Fratres expressè professi, ad hujusmodi munus idonei, vitaeque & moribus conspicui, per Ordinarium Loci examinati, & approbati, a dilecto Filio moderno, & pro tempore existente Ministro Generali Ordinis praefati, in dicta Basilica Penitentiariorum etiam pro tempore constituantur, & deputentur; qui sic constituti, & deputati, omnibus, & singulis facultatibus per dictum Innocentium Praedecessorem prioribus tribus Penitentiariorum, ut praefertur, concessis, & elargitis, & in praesentibus ipsius Litteris, quarum initium est -- *Ex incumbenti* -- datis apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Martii MDCXCIX. latius expressis, aequè & pariformiter, ex concessione Nostra, & praesentium Litterarum vigore, gaudeant & utantur.

Tres alios Penitentia- rios cum fa- cultatibus ab Innocentio XII. concessis adjungit.

§. 12. Praeterea Fidelium Defunctorum refrigerio & salutis per opportunam spiritualis Theatri dispensationi Nostrae concedit erogationem amplius consulere volentes, quum in praefata Basilica Altare Majus Ecclesiae inferioris Omnipotentis Deo in honorem S. Francisci dicatur, a fel. rec. Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII. per Litteras anno Incarnationis Dominicae MDLXXVII. pridie Idus Octobris sub Plumbo editas, quarum initium est -- *Omnium salutis* --, Privilegio quotidiano ac perpetuo pro Defunctis decoratum existerit; verum experientia compertum fuerit, piis confluente votis, & elemosynarum oblationibus, quae pro Missis ad hujusmodi Altare celebrandis quotidie deferebantur, minime satisfieri posse per eum numerum Missarum, quae singulis diebus ad illud celebrari valebant; ideoque jampridem a pia mem. Alexandro PP. VII. concessum fuerit, sit quae Missae ad illud celebrari tunc nequibant, ad alia duo Altaria in Litteris super hoc editis enunciata, pari cum Fidelium Defunctorum suffragatione, celebrari possent: Nos praedictas Gregorii Praedecessoris Litteras praesentium tenore etiam perpetuò confirmantes, simili motu, & auctoritate statuimus, atque concedimus, ut Missae, pro quibus ad praefatum Altare celebrandis,

Privilegium pro omnibus Defunctis A- re Maxime Ecclesiae infe- rioris imper- ritum, con- firmat.

Et in supple- mentum ad- signat Aram Majorem non Papalem su- perioris Ec- clesiae, tri- que Altaria inferioris.

elemo-

eleemofynas pro tempore offerri contigerit, quæque ad idem Altare re ipsa celebrari nequeverint, ad Altare Majus Ecclesiæ superioris, ex ea videlicet parte, qua illud nequaquam Pontificium Altare esse & fore decrevimus, nec non ad tria infra scripta Altaria in inferiori Ecclesia posita, nimirum ad Altare Sacrarum Reliquiarum, & ad alterum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & ad reliquum B. Josephi a Cuperfino Confessoris, liberè, & licitè celebrari possint & valeant; itaut earundem Missarum oneri perinde satisfiat, & satisfactum esse censetur, ac si Missæ hujusmodi ad præfatum Altare primario Privilegiatum celebratæ forent. Præterea dictum Altare Majus superioris Ecclesiæ, quæ Pontificium est, simili privilegio decorare volentes, eadem auctoritate Nobis a Domino tradita, concedimus, ut quoties Missa ad Altare hujusmodi, prædictorum Indultorum, aliorumque forsitan deinceps specialiter concedendorum vigore, celebrabitur pro Anima cujuscumque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, Anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ Indulgentiam per modum suffragii consequatur, & Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, aliorumque omnium Sanctorum virtus suffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur.

§. 13. Ut autem insignis Sacrarum Reliquiarum Thesaurus, qui in dicta Basilica, ejusque Sacratio aservatur, & magnam Populorum devotionem erga Sanctuarium hujusmodi merito conciliat, integrum inviolatumque permaneat; resque & memoriæ, quæ ad Sanctum Patriarcham Franciscum quoquomodo pertinent, minimè disperdantur, aut pereant; Nos dilectis Filiis Custodi & Fratribus Conventus prædicti S. Francisci, nec non ipsius Ordinis Minorum Conventualium Superioribus, etiam Ministro Generali, pro tempore existentibus, sub excommunicationis sententia eo ipso incurrenda, cujus absolutionem, præterquam pro iis, qui in mortis articulo constituti fuerint, Nobis, & Successoribus Nostri Romani Pontificibus pro tempore existentibus reservamus, nec non remotionis ab eorum respectivè officiis, aliisque arbitrio Nostro, & Successorum prædictorum infligendis pœnis, per præsentem expresse interdiximus, & prohibemus, ne quavis causa & occasione, absque Nostri, & Successorum Nostrorum prædictorum licentia in scriptis tradenda, particulam aliquam Reliquiarum, sive ad dictum S. Franciscum quomodolibet pertinentium, sive aliarum, quæ in dicta Basilica, illiusque Sacratio aservantur, extrahere, dividere, & aliis concedere, ac donare, aut pro se retinere audeant, seu præsumant.

§. 14. Præterea de ejusdem Basilicæ decore, ac libertate plurimum, ut par est, solliciti, simili auctoritate ac tenore, prædictis Custodi ac Fratribus, & aliis quibusvis etiam Superioribus, & Ministro Generali præfatis, præcipimus, & districte prohibemus, ne Juspatronatus alicujus Altaris aut Cappellæ in eadem Basilica existentis, neve locum ad Sepulturam ædificandam, seu scamnum, vel sedile, aut aræ situm ad illud collocandum, aut retinendum intra eandem Basilicam, cuilibet Personæ, etiam specificæ, & individua mentione dignæ, aut Familiæ, seu Virorum, aut Mulierum cœtui, Congregationi, aut Universitati, inconsulto Romano Pontifice pro tempore existente, nec nisi facultate ab eo in scriptis pariter obtenta, in posterum concedant; & quidquid contra hujus præcepti Nostri formam per eos fieri, aut attentari contigerit, ex nunc irritum, & inane decernimus. Quæ verò scamna aut sedilia jam nunc, ex legitimis iuribus, in eadem Basilica existere, seu certis in locis intra eandem retineri solere dignoscuntur, volumus & jubemus, ut

omnia ad æqualem mensuram & formam reducantur, sublatis gradibus, & suppedaneis quibuscumque, atque ita per Basilicæ spatia collocentur, ut non deformitatem, sed potius decorem illi afferant, & ornatum. Per hæc autem ullius Personæ, Familiæ, aut Universitatis asserta jura, sive Patronatus in ejusdem Basilicæ Altaria, & Cappellas, sive habendi Sepulturas intra eandem, aut scamna, aut sedilia illidem retinendi, nisi quatenus legitimis, & sufficientibus titulis, aut consuetudinibus fulciantur, approbare non intendimus.

§. 15. Externas quoque Porticus, & arcam præ foribus utriusque Ecclesiæ tam superioris, quam inferioris, nec non adnexi Conventus, in longum, latumque protensam usque ad locum, qui dicitur *la Cordona*, & ad Fossam *sanctæ Margaritæ* nuncupatam, non solum ab omni molestia, & perturbatione liberæ & immunis, pro Nostri & Apostolicæ Sedis reverentia, servari volumus, & præcipimus; Verum etiam Ecclesiasticæ Localis Immunitatis iuribus gaudere concedimus, & earundem præsentium tenore decernimus; Ampliantes quoad hoc fel. rec. I. redecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII. concessione, in *Schedula Motus* proprii die XX. Decembris MDCCXXVI. ab ipso signata, latius expressam, eandemque nihilominus in reliquis ejus partibus confirmantes; Ac decernentes, tam Prædecessorum Nostrorum Gregorii XIV. ejusdemque Benedicti XIII. ac Clementis XII. Apostolicas Constitutiones super Immunitate Locali, quam Nostram anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIX. Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno X. editam, quæ incipit -- *Officii Nostri ratio* -- in occurrentibus casibus servandas, & exequendas esse. Nos enim Venerabili Fratri moderno, & pro tempore existenti Episcopo Assisensi omnes ad id necessarias, & opportunas facultates, ipsæ auctoritate & tenore, perpetuò tribuimus, & elargimur.

§. 16. Porro quam alias memoratus Prædecessor Noster Sixtus Papa IV. conservationi structurarum ejusdem Basilicæ, & Domus adnexæ, ac etiam augmento Divini cultus, & sustentationi majoris numeri Fratrum ad illud in ea exercendum a prima erectione deputarum, prospicere volens, per suas Apostolicas Litteras sub Plumbo datas Assisii anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVI. octavo Kalendas Septembris, incipientes -- *Venerabilem* --, in Monasterio olim existente Sancti Nicolai de Campolongo Ordinis Sancti Benedicti Assisensis Diocesis, Abbatialem Dignitatem, & Ordinem prædictum, ac nomen ipsum, & Titulum Monasterii suppresserit, & extinxerit; illiusque structuras, ædificia, ac bona omnia, ac etiam deinde per alias similes Litteras datas Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVIII. quarto nonas Februarii, quarum initium est -- *Applicavimus* --, omnia & singula Beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, olim ad collationem Abbatis dicti suppressi Monasterii, cum Conventu ejusdem Monasterii, vel sine, spectantia & pertinentia, eorumque fructus, redditus, & proventus, Sacritæ Domus ejusdem Sancti Francisci, pro sustentatione onerum Fabricæ hujusmodi, & Fratrum in decenti numero ibidem sustentatione, perpetuò applicaverit, appropriaverit, univerit, & incorporaverit, itaut liceret Custodi, & Fratribus prædictæ Domus pro tempore existentibus, hujusmodi Beneficiis, eorumque Ecclesiis, Cappellis, & Altaribus, per aliquem etiam ejusdem Ordinis Professorem ad eorum nutum amovibilem, in Divinis deserviri facere, ac onera ipsi adnexa, & alias Personis eadem pro tempore obtinentibus incumbentia, etiam in ministracione Sacramentorum, perferre & adimplere

Privilegium etiam pro Defunctis tribuitur Aræ Maximæ Pæpali Superioris Ecclesiæ, quoties ex Indulto ibidem celebratur.

Prohibet, ne Reliquiæ SS. extrahantur, sub pœna excommunicationis lata sententia Romano Pontifici reservata.

Concessionem Juspatronatus, & Sepulturæ, inconsulto Romano Pontifice, in Basilica faciendæ irritat.

Scamna ad æqualitatem reduci, & rectè disponi mandant.

Privilegium immunitatis localis Aræ ante Basilicam aliis concessum latius extendit.

Tribuit Episcopo facultatem extrahendi Reos, observata forma Constit. Apost.

Confirmat unione Monasterii de Campolongo, & Beneficiorum.

1754.

1754.

Approbat
consecuti-
né deputandi
in Parochiis
dependentibus
Presbyteris
Sæcularibus.

Qui, præter
obsequia Ca-
thedrali præ-
standa, inter-
sint supplica-
tioni Corporis
Christi a Ba-
silica habendæ.

Commenda-
dat Custodi
& Ministro
Generali re-
parationem
& cultum Ec-
clesiarum de-
pendentium.

Quinquæ Pa-
rochialibus
Ecclesiis, &
uni Subdila-
rie concedit
Altare Majus
certis diebus
privilegia-
tum.

Nos hujusmodi applicationem & unionem, ad effectum præmissum, novæ confirmationis Nostræ munimine roboramus; Ac insuper inductam a multo jam tempore, & actu, ut accepimus, vigentem consuetudinem, ut scilicet ad exercitium curæ Animarum in quatuor Parochialibus, videlicet in una Sancti Petri Castri Paradisi nuncupat, ac in alia Sancti Joannis Baptistæ Castri Podii superioris, ac in altera ejusdem Sancti Joannis Baptistæ Castri Plebis, & in reliqua Sancti Laurentii Castri Porciani, nec non in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Gualdo nuncupat. mox dictæ Parochialis Sancti Laurentii subsidiaria, Ecclesiis, olim a prædicto Monasterio dependentibus, totidem Præsbyteri Sæculares in illarum Vicarios Curatos pro tempore a prædictæ Domus Custode & Fratribus amovibiliter deputentur, præsentium tenore approbamus, & in posterum quoque servari concedimus; mandantes, ut omnes & singuli Vicarii Curati hujusmodi, præter assitentiam, & obsequium Ecclesiæ Cathedrali Assistenti in consuetis Functionibus, & Processionibus ab ipsis præstandum, Supplicationi etiam in Dominica infra Octavam Solemnitatis Corporis Christi ab eadem Basilica S. Francisci quotannis celebrandæ, in loco ipsis in præfato Cæremoniali assignato, interesse teneantur.

§. 17. Cæterum hæpediti Conventus Custodi & Fratribus, ac etiam præfati Ordinis Ministro Generali pro tempore existentibus, harum serie injungimus, & enixè commendamus, ut ipsi tam prædictarum, ac etiam Sanctæ Margaritæ intra Assistentiam Civitatem Parochialium, quam aliarum ab eodem Conventu quacumque ratione dependentium, videlicet dicti Sancti Nicolai de Campolongo, & Sancti Francisci Parvuli nuncupati intra Assisium, ac Sanctæ Mariæ Conventus Rivitorti, nec non Sancti Joannis Baptistæ prope eundem Rivumortum, ejusdemque Sanctæ Mariæ apud Castrum Rocchicciolæ ejusdem Assistentis Diocesis, & alterius Sancti Joannis Baptistæ extra muros Castri Turris Alinæ, Diocesis Urbevetanæ, Ecclesiarum conservantioni, ac in eis sacrarum Suppellectilium mantentioni, diligenter & sedulò incumbant.

§. 18. Denique istem Custodi, & Fratribus, in iis præsertim, quæ ad Animarum salutem referuntur, uberius gratificari, dictasque Sanctæ Margaritæ in Civitate Assistenti, & Sancti Petri Castri Paradisi, & Sancti Joannis Baptistæ Castri Podii superioris, ac aliam ejusdem S. Joannis Baptistæ Castri Plebis, nec non S. Laurentii Castri Porciani, Parochiales, ac etiam præfatum Sanctæ Mariæ de Gualdo dictæ Assistentis Diocesis Ecclesias, a præfato Conventu, ratione unionis a dicto Sixto Papa IV., ut præfertur, factæ, dependentes, speciali pro Animabus in Purgatorio existentibus privilegio illustrare volentes; Auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quum die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ac singulis diebus infra illius Octavam, ac Feria sexta cujuslibet hebdomadæ Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, seu instituti Regularis, Missam Defunctorum pro Anima cujuscumque Christiani fidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare Majus dictarum sex Ecclesiarum celebrabit, Anima ipsa de Thesaurò Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur, in perpetuum concedimus, & indulgemus: Cujus quidem concessionis in singulis Ecclesiis hujusmodi Monumentum lapideum

publico aspectui apponi volumus & mandamus.

§. 19. Decernentes præsentibus Nostras Litteras, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, aut ex alia quavis causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse; easque omnino sub quibusvis contrariis Constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam Consistorialiter, aut alias, quocumque, & quibusvis de causis etiam pro tempore factis, minimè comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, ac de novo concessas, semperque & perpetuò validas, firmas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, perpetuò, & inviolabiliter observari, ac prædictæ Basilicæ & præfati respectivè Conventus Custodi & Fratribus nunc & pro tempore existentibus, ac Ecclesiis prædictis, aliisque Ecclesiis, & Personis, quarum favorem eadem præsentibus quomodolibet concernunt, perpetuò futuris temporibus plenissimè suffragari debere: Eisdemque super præmissis omnibus & singulis per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem præsentibus Litteris narratorum, ullatenus unquam teneri, nec ad id in judicio, vel extra cogi, vel compelli posse: sique in præmissis omnibus censi, ac ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate, & potestate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 20. Quocirca Dilectis Filiis Nostri Henrico Benedicto Mariæ Clementi Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Duci Eboracensi nuncupato, ac Vincentio Tituli Sanctorum Marcellini, & Petri, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam Presbytero Cardinali Malvetio nuncupato, eorumque in Basilica, & Titulo hujusmodi Cardinalibus successoribus, nec non Dilecto etiam Filio moderno, & pro tempore existenti Causarum Curie Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ipsas præsentibus Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentis Custodis dicti Conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostræ, eandem, & in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, dictamque Basilicam, ac ipsius Conventus Custodem, & Fratres, aliasque Ecclesias prædictas, illis omnibus & singulis pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos, vel quempiam ex ipsis desuper per quoscumque,

Clausula
pro præmissis
forum firmitate.

Deputatio
Iudicum Assistentium &
Executorum.

quo-

Derogatio
contrariis.

quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel præminentie fuerint, per sententias, Censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

§. 21. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de iure quesito non tollendo, & Bonifacii Octavi etiam Prædecessoris Nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diocesim ad iudicium evocetur, seu ne Iudices a Sede Apostolica prædicta deputati extra Civitatem vel Diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant vel præsumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, nec non præmissis, aliisque Apostolicis aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum pariter Prædecessorum Nostrorum, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, & universalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non majoris Ecclesiæ, & Civitatis Assisensis, diocetice Ordinis Minorum Sancti Francisci, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, quibusvis Personis, Civitatibus, & Locis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, Sedemque prædictam, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis Decretis, in genere, vel in specie, etiam Motu, Scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis, & multiplicatis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel aliqua alia forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis ha-

bentes, illis aliàs in suo robore permanentis, ad effectum validitatis, & perpetuæ firmitatis præmissorum omnium, & singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, nisi per Litteras Apostolicas facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 22. Ad hoc autem, ut præsentis Nostræ Litteræ amplius innotescant, & de eis fides commodè fieri possit; volumus, quòd ipsarum transumptis, etiam impressis, manu Cancellarii, seu Archiviste dicti Conventus, seu cuiusvis Notarii publici subscriptis, ac sigillo ejusdem Conventus, vel alicujus Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem profus ubique fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ iisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. 23. Nulli ergo omnino Hominum liceat, paginam hanc Nostræ Approbationis, Confirmationis, Constitutionis, Erektionis, Interdicti, Prohibitionis, Statuti, Concessionis, Indulti, Mandati, Decreti, Derogationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, octavo Kalendarum Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quarto-decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Card. Pro-Datarius.

VISA
De Curia J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 6. Aprilis 1754.

Fides habenda transumptis.

Sanctio poenalis.

Dat. Pont. Anno XIV. die 25. Martii 1754.

XXXIII.

Albanie Episcopis traditur methodus, qua satagent, ut, a Catholicis illius regionis sua Ecclesiis bona restituantur, vel aliquo modo super illis transigatur, & si neutrum queat obtineri, facultas sit Episcopis derelinquendi fundos, fructusque Possessoribus, eisdemque absolvendi a censuris.

Ven. Fratri Nicolao Lercari Archiep. Rhodien. Cong. Propagandæ Fidei Secretario.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Consulti Albanie Episcopi de periculo, quod subesset, si ab Ecclesiis sua bona vindicari velles, que ab illegitimis possessoribus detinentur.

CUM Encyclicas litteras, sicut Nos tibi præcepimus, & Congregationis de Propaganda Fide sententia fuit, cujus te ipsum præstas emeritum Secretarium, ad Albanie Antistes dederis, nempe ad Venerabiles Fratres Archiepiscopum Antibari, Episcopos Scedræ, Sappæ, Liffi, & Pullariarum, ut ab iis innotesceret, an proposita ab Ecclesiis suarum Diocesim vindicatione suorum bonorum, exindeque percep-

Bullarii Romani Contin. Pars XIII. torum

Si prescrive ai Vescovi d'Albania come debbano portarsi in procurare, che da' Cattolici siano restituiti alle Chiese i loro Beni, o almeno si venga a qualche onesta transazione; e nel caso che niuna di queste due cose possa ottenersi, si dà loro autorità di rilasciare a' Possessori i beni, assolvendoli ancora dalle Censure.

Ven. Fratri Nicolao Lercari Archiep. Rhodien. Cong. Propagandæ Fidei Secretario.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AVENDO Ella, in esecuzione dei nostri ordini, e della mente della Congregazione de Propaganda Fide, di cui è degnissimo Secretario, spedita la Lettera circolare ai Prelati dell' Albania, cioè ai Venerabili Fratelli l'Arcivescovo di Antivari, i Vescovi di Scuttari, Sappa, Alessio, e Pulati, per sapere da essi, se promovendosi dalle Chiese delle loro Diocesi la giusta domanda della resti-

Sono stati consultati i Vescovi d'Albania, qual pericolo potrebbe temersi, se dalle Chiese si volessero recuperare i loro beni illegittimamente posseduti.

I 3 tuzione